

de Gothis a se devictis receperunt. Postmodum Reguli qui debilitata Caroli Magni progénie tyrannicis invasionibus eandem provinciam urbemque Romanam, unaque Apostolicam Cathedram dirissima servitute opprimerunt, improvide faventibus ipsis ab initio Romanis Pontificibus. Denique plerique Germanorum Reges ac Imperatores, qui sibi indebitam auctoritatem asseruerunt, solo suo nutu Romanos eligendi Pontifices, eoque Apostolica sede exturbandi, qui se inconsultis in eam conscendissent.

8. Pernicies ista initium sumpsit ab Odoacre Principe Barbaro Arianae impietatis sectario, postquam armorum vi sub dominationis suae jugum Italiam subegit, seque illius regem constituit. In quarto enim Romano sub Symmacho Papa Concilio Praefecti sui voce edixit, ne post obitum Romani Papae ullus ei sublegeretur successor, absque Regis consensu. Quam legem sacra Synodus repudiavit, ejusque in se transulit sceptrum Theodorici Arianae quoque sequax impietatis, eandem instauravit legem, ut ex epistola colligitur Athalarici Regis ad Romae Senatum scripta super Felicis tertii electione quam refert Cassiodorus lib. 8. epist. 15. Successit Imperator Justinianus exactis per Belisarium tota Italia Ostrogothis, jusque istud, quod haereticorum qui praecedebant Regum tyrannis invexerat, confirmavit, sibi non dubitavit asserere, atque ad successores Imperii transmittere, qui paucis exceptis haereses Nestorii, Eutychie, Monothelitarum, Iconoclastarum consecrati sunt. Quae causa deinde fuit immantium adversus sacrosanctos Pontifices eiusque subjectas Ecclesias persecutionum. Quin etiam ingenti pretio compellebantur Imperatoris aut etiam Exarchae Ravennatis consensum ad Pontificiam promotionem promerari: adeo ut ad sacrum dignitatum culmen non aliter quam per simoniaca flagitia conscenderetur: quod sacrilegium inausum inaudiatumque fuerat erga Romanos Episcopos, ipsis etiam idololatris Romanorum Imperatoribus. Inde pariter nascebantur exitalia schismata, dum scelerati Clerici summum ambientes Pontificium, grandi pecunia & indignissimis pollicitationibus nunc Imperatorum, nunc conjugum Augustarum, nunc Comitum Palatinorum gratiam aucupabantur.

9. Evidentibus argumentis monstrat Eminentissimus Cardinalis Baronius ad annum 774. ex quo armis Regum Franciae Pipini & Caroli Magni extincto Longobardorum in Italia dominatu, Provinciarum quae victoribus cesserant Francis, major pars incredibili penes magnificentiam Romani Pontificis ditioni attributa est ab istis; Imperiumque Occidentale a Leone III. Pontifice Francis collatum est, liberam permansisse an-

nis ducentis Romanorum Pontificum electiones, ne ulli attrictas Francorum Regum & Imperatorum arbitrio vel confirmationi. Sed ex quo ad Germanos Principes devolutum est Romanum Imperium, deficiente aut saltem ab avita virtute degenerare Caroli Magni progénie; tum demum Romana Ecclesia vetus illa servitus tot annorum decursu interrupta recruduit; quo tempore Ottho primus e Saxonum gente, hac lege Romanos atrinxit, quam idem per schisma intrusum a se Leonem ejus nominis octavum, vivente adhuc sed in ordinem redacto Joanne XII. legitimo Papa, sancivit: ut non nisi precedente Othonis consensu fuisset filii, & deinceps successorum Imperii, quicumque eligetur aut consecraretur Romanus Pontifex. Cujus etiam edicti meminit Luitprandus rei gesta vivens ac videns testis, historiae suae lib. 6. cap. 6. Privilegium istud (si tale vocari possit) observari voluerunt Imperatores Germani, nomine resistere aut oblectari auro Romae Antistite ad usque Gregorii VII. dicti Hildebrandi Pontificatum, qui postquam vexillum Pontificiae libertatis ex arce Romana in sublime erexit ipse, & qui post ipsum in Pontificiae dignitatis apicem conscenderunt, feracibus & atrocissimis bellis ab Imperatoribus Germanis confictati sunt, quibus Italia & Germaniam horrendum in morem confagranant sub Othonibus, Fridericis, & Bavariis principibus, qui insensibilis bellis saepiusque repetitis universam Italiam funestant: per quos etiam diversi Pseudopontifices, legitime ejectis, Romanam in sedem obtrusi sunt: donec ipsis assentientibus Imperatoribus servitutis indebitae jugum a cervicibus Ecclesiae sponsae Regum amotum est.

10. Denique ut huic de ordinandorum electione dissertationi finis imponatur; sciendum, minime proffus intelligendum de ordinatione Episcopali veterem illum Ecclesiae Alexandrinae ritum, cujus est apud Hieronymum mentio in epistola ad Evagrium: *Alexandriae* (inquit) *a Marco Evangelista usque Heraclam & Dionysium Episcopos, Presbyteri semper unum ex se electum in excelso gradu collocatum Episcopum nominabant: quomodo si exercitus Imperatorem faciat, aut Diaconi de se eligunt quem induriam noverint, & Archidiaconum vocent.* Ritus ille nullatenus Episcopum consecravit, sed electionem sequebatur, atque ut vulgus vocat; installatio, atque in possessionem immisio, ad firmandam electionem factam, aut fortasse sicut post unionem consecrationis mystica, quemadmodum ex praescripto Pontificali, consecrator Antistites consecratur a se novum Hierarcham sacrae dignitatis insignibus decoratum in sede collocant Episcopali.



ECCLESIAE TERTII SAECULI HISTORICA SYNOPSIS.



1. ANCTA Dei Ecclesia, quae sub Marco-Aurelio fuerat atrociter divexata, pace tandem tranquilla potiri cepit sub ejus filio & successore Commodus; quem, tametsi scelestissimum atque impurissimum Principem, Deus suscitasse videtur Christianorum ultorem. Innumeros enim Senatores & Provinciarum Praefectos, qui patre vivente omni crudelitate adversus Christianos grassati fuerant, ipse exiliis, honorum spoliacione, & ultimis suppliciis, quando regnavit, infectus est atrocissime. Commodus regnante, Lucius ejus partis Britanniae insulae Rex, quam nondum Romani subegerant, missis Legatis ad Eleutherium Romanum Episcopum, Christianam religionem expetivit, & sacros ab eo ministros impetravit, qui se suumque populum divina fide imbuerunt: ut referunt liber de Romanis Pontificibus in Eleutherio, & Beda de gestis Anglorum lib. 1. cap. 4. Ado quoque in Chronico, atque hoc eodem vivens saeculo Tertullianus, adversus Iudeos cap. 7. ita scribit: *Britannorum inaccessa Romanis loca Christo sunt subdita.* Sub Commodus Principe Theodotus, qui ex haereticorum lacunis ad Judaeorum cloacas transfugerat; tertium edidit Bibliorum Graecae editionem, post illas quas septuaginta Interpretes primum sub Ptolomaeo Philadelpho, Aegypti Rege, deinde Aquila Ponticus sub Hadriano Imperatore concinnarant. Quartam vero postmodum sub Septimio Severo Symmachus edidit.

2. Occiso a suis Commodus datus est successor Pertinax, cujus probitatem & optima instituta cum ferre non possent milites Praetoriani, luxu olim & rapinis sub Commodus assueti, morte indigna ab eisdem perduellibus Praetorianis, intra octogesimum octavum ab electione diem, sublatus est. Tum Septimius Severus a Pannonicis legionibus, devictis duobus Imperii competitoribus Pescennio Nigro, quem Britanniae legiones elegerant, Imperium capessivit, natione Afer, ingenio vaferimus, & moribus crudelis; postquam duos potentissimos adversarios divisit, sibi magnificis pollicitationibus Caesareae dignitatis & partis Imperii devinxit. Verum post debellatum Pescennium, arma in focum Albinum inopinatum convertit, calumniis rebellionis & perfidiae innocentem perfidus ipse opprimens, cum eo acie ad Lugdunum congredditur, quo in praelio Crodius Albinus pugnant Interimitur, ipsaque urbs victoris ira diripitur & incenditur. Rerum potius Severus, Bassianum natu priorem filium suum, Antonini gratissimo Romano nomine decoravit, posterioremque Getam nominavit.

3. Anno deinde Imperii decimo, qui fuit Christi ducentissimus secundus, gravissimam persecutionis procellam Severus contra Christianos movit, quae celo Martyres dedit Alexandriae quidem Leonidam Origenis parentem; Lugduni Irenaeum; Romae Victorem Pontificem; in Africa Perpetuam, & Felicitatem nobiles feminas. Severo mortuo, filii duo paternum sortiti sunt regnum Bassianus Antoninus, dictus pariter Caracalla, & frater Geta: Sed hunc brevi suapte manu in palatio, atque inter matris brachia, Caracalla trucidavit. Sub hoc deseruit, quam pater in Christianos suscitaverat, persecutio, eamque in ipsos vertit persecutores. Superbissimum enim Plautianum socerum suum, Christianorum toto orbe dirissimum carnificem, vivente adhuc patre, occidit: quin etiam Severum patrem mori praemore coegit, postquam diversis modis ejus insidiatus est vitae; mortuoque patre in Senatores, & Praefides provinciarum, ceterosque magistratus, paternae adversus Ecclesiam hostilitatis administratos, atrociter desavit.

4. Prima crudelitatis ejus post casum fratrem victima fuit Jurisconsultus Papinianus, Senatus Romani praecipuum decus, quem interpellavit ut fratricidium apud Senatum quasi justum, & ad avertendas Getae adversus primogenitum fratrem insidias, necessarium excusaret. Sed vir probus & integer mori praelegit quam injustis calumniis, & occisoris scelere patrocinari. Quapropter ad mortem a furente Caracalla damnato cervix gladio caesa est. Post ista Romae perpetrata flagitia, in Aegyptum abiit Alexandrinis intentus, a quibus fuerat dictis perfrictus, eosque ad spectaculorum apparatus allecitos ingenti strage exercitus quem ducebat, nihil tale suspicantes; trucidavit; & fugientes est infectatus, ut amplissima civitas civium crure redundaret. Inde digressus Artabanum Parthorum Regem ficto pretextu

nuptiarum cum ejus filia, fraudulenter oppressit, ejusque populatus est regnum.

5. Inter ea dum pace fruebatur Ecclesia Romae sub Zephyrino, qui post Victoris martyrium sedem Petri ascenderat, nobilis & publica disputatio de fide habita est, inter Cajum peritissimum Theologum, & Proculum apud Montanistas Cataphrygas celeberrimum ducem. Victoria penes catholicam partem stetit divulgatoque in omnes partes adeo felici successu, secta ipsa pene extincta fuit; sectariis certatim ad Ecclesiam redeuntibus; etiam pertinacissimus Tertullianus variis editis libris collabentem ac propemodum conclamatum haeresim fulcire niteretur.

6. Ecclesia a Gentilibus pax cepta ab exordio Imperii Caracalla recesserat post annorum quatuor & viginti, ad usque regnum Maximi, nisi fuisset aliquando interrupta regnante Alexandro Mammee filio; qui licet bene affectus erga Christianos esset, ipsiisque Christianum una cum falsis numinibus in suo privato Iarario coleret; quia tamen Ulpiano Jurisconsulto Christianis infenso, quem praefecti praetorio dignitate decoraverat, cuique curam Imperii commiserat, in omnibus obsequabatur, aliosque insignes Jurisconsultos imperialium Legum & Senatus Consultorum adversus Christianam religionem editorum studiosos, Papiniani illustrissimi olim discipulos, Fabium Sabinum, Julium Paulum, Pomponium, Modestinum, Callistratum, Celsum, aliosque peritiam juris insignes; praecipuis muneribus & provinciarum praefecturis honorabat: inde factum est, ut sub optimo principe Christiani graves ubique clades a magistratibus, quibus erant inveni, perpessi fuerint. Insignes sub Alexandro Martyres Ecclesiam illustrarunt, in primis duo Romanae Ecclesiae Pontifices, Callistus, pro Christi fide in puteum demersus, & Urbanus Papa; Caecilia insuper Virgo cum sponso Valeriano, & hujus fratres Tiburtio; item Calepodius Presbyter, Martina Virgo Romana, Aurea Virgo apud Ostia Tiberina, Hippolytus Portuensis Episcopus, Julius & Hesychnus Christiani milites.

7. Eodem regnante Alexandro, gravis est orta contentio inter Demetrium Alexandrinum Episcopum & Theodotum Caesareae Palaestinae & Alexandrum Jerosolymorum Episcopos. Cum enim celeberrimus ille Origenes adhuc adolescens, ne dum satis maturo iudicio, in errorem inducitur ex male intellecta Evangelii propositione: *Sunt cumuchi qui se castraverunt propter regnum caelorum*, ausus fuisset se ipsum virilibus mutilare, postquam aliquot annos Alexandria profectus, secum deferens ab Alexandrino Episcopo commendatitias communionis litteras, Caesarea Palaestinae appulisset, Theodotus Caesareae, & Alexander Jerosolymae Episcopi suam impositione manuum illum Diaconatu, Sacerdotioque ex mutuo consensu ordinarunt. Quae ut reseruit Demetrius Alexandrinus, litteras querelarum plenas ad quoscunque potuit Antistites transmisit, admonens de harum ordinationum sacris Canonibus adversantium nullitate. Primum quia illa Origenis mutilatio spontanea legum Ecclesiasticarum erat evidens transgressio, irregularitatem pariens, atque ad Ecclesiasticos ordines inhabilitatem. Deinde quia sine sui consensione (cum proprius esset Origenis Episcopus) ipsum, quod sacri vetabant Canones, ordinate attentassent. At illi se in hoc facto ab omni culpa immunes asseverabant; eo quod non se fecerit, sed medicaminibus quibusdam castrasset Origenes, praeterea nihil ipsi peregerint, nisi post inspectas Demetrii commendatitias litteras, quas sufficere, nec aliud praeterea requiri contendebant. Simulas ista Demetrii cum Origene majoribus deinde accessionibus est aucta, deprehensis inter ejus editos libros petmultis erroribus, a quibus se tamen Origenes purgare nitebatur, culpam omnem in suos malevolos refundens, quos conquirebatur se in scilicet errores illos suis libris inspersisse. Ceterum neque istas suppositiones ab aliis factas fuisse convincebat, neque primaria ulla exemplaria ab his immunita proferebat, neque objectos sibi errores sigillatim contrariis damnabat, ideoque Demetrius illum quasi haereticum convictum, fidelium communionem summovit.

8. Sub Alexandri quoque regno alterum gravissimum exortum est dissidium, quod succedentibus temporibus Ecclesiam fere universam distinxit. Tertullianus Afer, ante suam ab Ecclesia Catholica defectionem, librum Graeco sermone procluserat, quo demonstrare intendebat, nullam esse baptismi vim ac efficaciam a quocumque